

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL
Decretum

Prot. N. 33358/02 CA

Dimissionis

(Fr. N. - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

DECRETUM DEFINITIVUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno II, die 2 decembris 2006, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis Augustino Card. Vallini, Praefecto et Ponente, Ioanne Ludovico Card. Tauran, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Burke, Francisco Coccopalmerio et Xaverio Echevarría Rodríguez, intervenientibus Cl.mo C. Gullo, utpote Recurrentis Patrono, Cl.ma M. Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, et Rev.mo Josepho R. Punderson, Promotore Iustitiae deputato, in causa de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

I. FACTI SPECIES

1. Rev.dus N., Provinciae Herzegovinae O.F.M. adscriptus et paroeciae in loco X legitime adsignatus, a mense aprili 1999 sine licentia Superioris, de qua in can. 665, § 1, et absque ullo mandato auctoritatis competentis, sese transtulit ad paroeciam in loco Y in dioecesi Z ad ministerium pastorale ibi exercendum, etsi cura pastoralis paroeciae, olim Ordini Fratrum Minorum commissa, iam ad clerum dioecesanum translata erat, in executione decreti a Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione die 6 iunii 1975 lati et a Summo Pontifice Paulo VI confirmati et publici iuris facti.

Cum idem sodalis non oboedivisset praecepto Rev.mi Ministri provincialis ut ad propriam domum rediret, res delata est Rev.mo Ministro generali, qui,

cum consensu sui Definitorii, primam monitionem canonicam die 1 februarii 2000, ad normam can. 697, n. 2, N. imposuit, eidem terminum statuens intra quem sese mitteret sub auctoritate legitimi Superioris.

Quo praecepto accepto, Rev.dus Recurrens, die 28 februarii 2000 respondit se oboedire non posse; itaque Rev.mus Minister generalis, cum consensu Definitorii, decreto die 26 maii 2000 alteram monitionem canonicam eidem sodali dedit, terminum decem dierum statuens intra quem ad domum religiosam rediret. N., decreto recepto, die 19 iunii eiusdem anni responsionem summariam sed utique negativam dedit, affirmans decretum Rev.mi Ministri generalis esse «fondato sulla menzogna la quale non può essere fondamento della mia obbedienza» et petens conveniri coram iudice ecclesiastico.

Qua responsione perpensa, Rev.mus Minister generalis processum dimissionis suspendit, sperans fore ut solutio pacifica inveniretur occasione proxima visitationis canonicae, sed frustra. Tandem die 30 maii 2001 ipse Rev.mus Minister generalis, ad normam iuris, dimissionem Rev.di N. ab Ordine Fratrum Minorum statuit ob pertinacem inoboedientiam legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi et ob illegitimam absentiam, de qua in can. 665, § 2, per ultra semestre protractam.

2. Decretum dimissionis a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 23 iunii 2001 ad normam can. 700 confirmatum, die 27 septembris Rev.do Recurrenti notificatum est, qui instantia diei 5 octobris 2001 Rev.mo Ministro generali nonnullos errores materiales corrigendos indicavit. Recepto die 19 novembris eiusdem anni decreto correcto, Rev.dus N. die 26 novembris 2001 recursum hierarchicum coram eadem Congregatione interposuit. Haec autem die 15 februarii 2002 recursum reiecit et dimissionem confirmavit.

3. Quam adversus decisionem, Rev.dus Recurrens die 13 martii 2002 provocavit ad H.S.T. Exhibitis memorialibus Cl.morum partium Patronorum, necnon voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati, Em.mus H.S.T. Praefectus, in Congressu die 18 maii 2006 habito, recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus non admisit, utpote manifeste carentem fundamento.

4. Quo decreto die 5 iulii 2006 notificato, Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus die 11 iulii 2006 recursum ad Em.mos et Exc.mos H.S.T. Patres interposuit. Rite peractis peragendis, Nobis nunc dubio respondendum est: **An decretum Congressus, die 18 maii 2006 latum, in casu, reformandum sit.**

II. IN IURE ET IN FACTO

5. Contra Congressus decretum, Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus ad Collegium Patrum tantummodo provocat «pro motivationibus expositis in meo Memoriali [pro Congressu] et non acceptis». Hoc in casu arduum videtur a conclusione eiusdem Congressus recedere.

6. Arguit ipse Cl.mus Patronus in suo memoriali diei 1 septembris 2005 legem violatam esse in decernendo quia Rev.dus Recurrens dimissus sit ob pertinacem inoboedientiam, etsi adfuerint circumstantiae excusantes, quae singulae sunt:

1) Rev.dus Recurrens praeceptis revertendi ad domum legitime obtemperare recusavisset ob necessitatem fidelium paroeciae Y, scilicet ne ipsi fideles spiritale detrimentum paterentur ob defectum curae pastoralis, nam paroecia parrocho carebat;

2) Inoboedientia Rev.di N. praeterea eidem eo minus imputabilis esset quo adhuc perdurarent rationes ob quas ipsi Superiores Provinciae Herzegovinae praeteritis annis diutius sese opposuerant translationi curae pastoralis paroeciae ad clerum dioecesanum;

3) Postremo assertum scandalum et obruptio communionis ecclesialis ex parte Rev.di Recurrentis, quae circumstantiae gravitatem eius inoboedientiae augere dicebantur, non haberentur.

7. Insuper ipse Cl.mus Patronus contendit legem violatam esse in procedendo ob ius defensionis denegatum, quia Rev.do Recurrenti datus non fuisset petitus advocatus in processu dimissionis.

8. Evidenter nullum illis ex argumentis acceptum est a Congressu; neque Cl.mus Patronus Rev.di Recurrentis, post Congressum, quidquam argumentum protulit ob quod Congressus erravisset, sed tantummodo impugnat partem dispositivam eius decreti.

Nobis ergo nunc est decretum impugnatum examini breviter subiciere.

9. Decretum Congressus postquam opportune in memoriam revocavit principia iuris circa evangelicum oboedientiae consilium necnon consecraria quae moraliter atque iuridice sodalem libero totoque animo per votum oboedientiae obligant, responsum dedit nonnullis ex rationibus de quibus supra.

Quoad primam rationem, iuxta quam Rev.dus Recurrens ab oboediendo excusatus fuisset ob assertam necessitatem pastorem fidelium paroeciae Y, decretum Congressus accurate respondit quod, etsi Rev.dus Recurrens die 28 martii 1999 curam pastorem paroeciae de facto vacantis assumpsisset, novus parochus die 22 aprilis 1999 nominatus fuerat, quem Rev.dus N. nonnullique paroeciani impediverunt a cura pastorali in paroecia exercenda; quam ob rem asserta necessitas artificiosa apparet atque merum praetextum ad inoboedientiam Rev.di Recurrentis iustificandam.

Ad secundam etiam rationem quod attinet, iuxta quam Rev.dus Recurrens adhuc perdurare censeret motiva praeteritae et diutinae oppositionis Provinciae O.F.M. Herzegovinae executioni decreti "Romanis Pontificibus" die 6 iunii 1975 lati, quaeque etiam nunc eum excusarent a praecipis Superiorum servandis, Infrascripti adhaerere nequimus.

Congressus enim recte responsum dedit quod ea ratio nulla refert, nam in casu Rev.dus N. dimissus est quia relinquere recusavit paroeciam Y et revertere ad propriam domum religiosam ad normam can. 665. Quod praecipum in se haud «legibus divinis vel constitutionibus Instituti manifesto adversatur» nec «malum grave et certum secumfert» (Paulus PP. VI, Adhort. Apost. *Evangelica testificatio*, diei 29 iunii 1971, n. 28) vel pro fidelibus paroeciae vel pro ipso sodale. Neque Rev.dus Recurrens bonam fidem invocare potest per praeteritum modum agendi Superiorum suae Provinciae, quia ipsi Superiores olim recusantes nunc sunt praecipientes quae agenda sunt.

Ratio ergo a Rev.do Recurrente adducta admitti nequit.

Ad tertium vero motivum in Memoriali Cl.mi Patroni Recurrentis expressum sed non acceptum, decretum Congressus nullum responsum dedit, et legitime quidem, nam, quidquid est de asserto defecto scandali et damni communionis ecclesialis ex modo agendi Rev.di N., dictae circumstantiae aggravantes necessariae haud erant pro dimissione sodalis in casu, nam pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi et illegitima absentia, de qua in can. 665, § 2, per ultra semestre protracta, iam in se constituebant causas graves ob quas sodalis dimitti potest, ad normam can. 696, § 1.

10. Quaedam tandem breviter dicenda manent de asserta legis violatione in procedendo quoad ius defensionis denegatum. Decretum Congressus principia iuris clare exposuit (cf. cann. 697, n. 2,3; 698; 699) et affirmavit sodalem per se ius non habere ad assistentiam advocati in procedura dimissionis coram instituto peragenda, sed nihil obstat quominus Superiores ei huiusmodi facultatem concedant.

Relate ad casum, vero, decretum Congressus animavertit quod:

- Rev.dus N. sese abundanter defendere poterat et reapse defendit, nam argumenta sua ad abundantiam exprimere potuit et facto expressit, sese remittens etiam ad omnia argumenta per viginti quinque annos prolata;

- Ei immo facultas data est assistentiae advocati adhibendae in procedura dimissionis, sed ipse hac facultate usus non est, prorsus inepte potius petens ut causa dimissionis, contra ius, ad tribunal transferretur.

III. CONCLUSIO

11. Omnibus sive in iure sive in facto aequae rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent:

Negative, seu decretum Congressus H.S.T., die 18 maii 2006 latum, non esse reformandum.

Solvatur Cl.mo Rev.di Recurrentis Patrono congruum honorarium ex cautione ab Ordine Fratrum Minorum in arca H.S.T. deposita; reliqua pars cautionis retineatur pro expensis processualibus. Pars vero resistens suae Cl.mae Patronae honorarium solvat.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum definitivum decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, die 2 decembris 2006.

Augustinus Card. VALLINI, *Praefectus et Ponens*

Ioannes Ludovicus Card. TAURAN

+ Raimundus Leo BURKE

+ Franciscus COCCOPALMERIO

+ Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ

Notificetur.

Die 3 ianuarii 2007.

+ Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*

Paulus MALECHA, *vices Praepositi Cancellariae gerens*

* * * * *